

Dissertationem inauguralem de paronychia / subjicit E. Fridemann.

Contributors

Fridemann, Ernst.
Wedel, Georg Wolfgang, 1645-1721.

Publication/Creation

[Place of publication not identified] : [publisher not identified], [1674]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/e5kkwsm6>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

AUCTORITATE
ILLVSTRIS FACVLTATIS MEDICÆ
PRÆSIDE

MAGNIFICO RECTORE
VIRO

Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo, atque Experientissimo,

DN. GEORG. VVOLFFGANGO
WEDELIO,

Medicinæ Doctore ac Prof. Publ. celebratissimo, Medico
Ducali Saxonico felicissimo, S. R. I. Acad. Natur. Curios,
Collega Primario, &c.

*Domino Præceptore ac Promotore
devenerando,*

DISSERTATIONEM INAUGVRALEM
DE

PARONYCHIA
PRO

GRADV DOCTORALI

legitime consequendo,

Solenni disquisitioni subiect

ERNESTVS FRIDEMANN

Schelhaß/Jenensis,

Ad diem Septembr. Anno M DC LXXIV.

Editio Secunda.

VIRO.
ILLVSTRI. AC. MAGNIFICO.
DOMINO.
IOHANNI. THOMÆ
JCTO. EMINENTISSIMO.
HÆREDITARIO. DOMINO. IN.
NAVENDORFF.
SAXO. ALTENBVRGICO. CON-
SILIARIO. INTIMO. AC. CAN-
CELLARIO. SPLENDI-
DISSIMO.
REDITVVMQVE. PROVINCIA-
LIVM. DIRECTORI. GRA-
VISSIMO.
MÆCENATI. AC. PATRONO
MEO. OPT. MAX.

Ein guter Baum bringet gute Früchte.

* * *

Wer recht die Fruchtbarkeit der Bäume wil erkennen/
Derselbe sihet nicht allein die Blätter an/

Ob er gleich derer Art und Nahmen höret nennen/

So ist doch dieses nichts/was ihn vergnügen kan.

Wenn sonder Irrthum man hier wil ein Urthel fällen/

So trifft's am besten ein/wenn man die Früchte schmeckt/
Auch aus den Schalen wil die Wahrheit nicht erhellen/

Weil Wurm und Fäulnis oft in diesen Larven steckt.

Wie öfters lachen nicht die harten Winter-Birnen/

Wenn sie entfernet stehn auf hoher Gipffel Pracht.

Wie oft verführen uns nicht Schwanen-weiße Stirnen/

Ob in dem Schedel gleich ein schwarzer Teuffel wacht.

Wie manchemahl lügen doch die grösssten Zitronen?

Wenn doppelt so viel Safft in einer kleinern steckt/

Ob gleich die Zierlichkeit die Augen wil belohnen/

Wird kein Vergnügen doch in dem Geschmack' erweckt.

Es kan ein guter Baum nicht arge Früchte tragen:

Kan auch ein Momus hier uns tadeln diesen Schluß!

Alsdenn kan man vom Baum und dessen Wurzel sagen/

Wenn die geschmeckte Frucht nicht heget Ueberdruß!

Doch das Gedenken muß selbst von den Sternen fließen/
Es muß der Himmel wohl mit Wetter seyn geneigt.
Ein Gärtner pflegt umbsonst die Stauden zu begießen/
Wenn einmahl Seel und Geist aus Kern und Wurzel
steigt.

Sinkt endlich gleich der Baum versault zur Erden nieder/
Wenn ihn das Alterthum verzehret allgemach/
Sihst aus der Wurzel man doch Bäume sprossen wieder/
Die an der Fruchtbarkeit dem ersten schlagen nach.
Er ist/geehrter Freund/ein solcher Baum zu nennen/
Der leere Blätter nicht der Hoffnung dargestellt/
Er läset/was Er sey/uns aus den Früchten kennen/
Die Er durch diese Schrift zeigt der gelehrten Welt.
Der Mutter Vater war ein Baum/an dessen Zweigen
Erläuchte Häupter selbst gefunden ihre Lust/
Der Gipffel seines Ruhms muß an die Sternen steigen/
Wer hat von dessen Frucht/ihr Aerzte/nicht gewußt?
Wies das Verhängnis Ihm gleich die verschwiegne Höle/
So waren Zweige doch von dieser Wurzel dar/
Die ihre Krafft geerbt von einer edlen Seele/
Aus denen man erkennt/was in dem Stamme war.

Aus

Aus Vaters Tugenden sah man beliebte Früchte/
Die der Alsträen nicht den Mund zusammen ziehn/
Der Schluß war fertig schon/als bey geneigtem Lichte
Man kaum zum ersten mahl die Knospen sahe blühen.
Er wird/geehrter Freund/durchaus des Vaters
Tugend

Im hoher Wissenschaft nicht ungleich einsten seyn;
Diß zeigt sein muntre Geist/diß die bemühte Jugend/
Die der gelehrten Kunst die Stunden wolte weihn.
Es hat sein Bruder zwar durch Tugend längst erwiesen/
Daß Er/als Zweige/sey dem Stamm geartet nach.
Jedoch der gute Baum wil weiter seyn gepriesen/
Ob gleich die Sterblichkeit ihn stürmende zerbrach.
Izt sproßet Er hervor/man sah Ihn völlig blühen/
Izt zeigt Er die Frucht durch die gelehrte Schrift.
Wohl! wenn ein Baum die Krafft kan aus der Wurzel
ziehen/

Daß/was im ersten war/im andern man antrifft.
Man höret sein Verdienst mit höhern Titeln nennen/
Es wird Hippocrates Ihm geben auch den Ruß/
Den er nur diesen gibt/die seine Künste kennen.
Wie trifft so richtig ein der obgedachte Schluß!

O wohlgerathner Baum! O wohlgerathne Früchte!
Es werden sich von Ihm viel Aeste breiten aus/
Sein wohlerlangter Wiß und löbliches Gerüchte
Wird zieren mehr und mehr sein väterliches Haus.
Weswegen hinterließ Ihm Göbler seine Schrifften?
Er sahe schon im Geist/was in dem Enckel war:
Er wird durch seinen Wiß einst bey der Nachwelt stifften/
Daß sich der Mahme kan besreyen von der Bahr.
Kan über seinen Baum der Gärtner sich beklagen/
Wenn er die Aepffel darff mit Bucher samlen ein?
Nein: man wird stets von Ihm und seinen Früchten sa-
gen:
Hier muß gewiß der Baum und Wurkel
köstlich seyn.

Mit diesen wolten ihre obliegende Schuldigkeit gegen dem
Herrn Dd. ihrem hochwehrtten Gönner und
Tischgenossen abstaten

Die sämtliche Tischgesellschaft.



VIR

ILLVSTRIS. AC. MAGNIFICE.

Paronychiam TIBI meam offe-
ro, VIR MAXVME. Levi-
dente scriptum, tuaque amplitudine
indignum. At enim a magnifico no-
mine tuo splendorem ei gestio con-
ciliare. Qui tuas virtutes admiran-
tur, perlegere non detrectabunt pa-
gellas, incomparabili quas dignaris
præsidio.

Re-

Respice igitur, VIR ILLVSTRIS,
præsentes philyras, ac quæ de Vn-
guibus trado, faventi preme pollice.
Quod si impetravero, excitabis dili-
gentiam ac perennaturam erga TE
observantiam meam. Ita vale in Du-
catus Altenburgici, Reipublicæ litera-
riæ, Tuorum, ac mei emolumentum.

Scrib. Kal. Sept.

Anno cId Idc LXXIV.

T. ILLVSTRIS
AC MAGNIFICE
DOMINE

devotissimus Cliens

Ernestus Fridemann Schelhaß.



uamvis præ cunctis creaturis mi-
crocosmus, sive structuræ elegantiam, sive a-
nimæ immortalitatis splendorem spectes, emi-
neat, dum singulari divinæ concessionis privi-
legio cuncta perlustrare, maximoque fructu di-
judicare, potens est; nihilominus tamen variis
calamitatum myriadibus summa hæc perfectio-

nis imago obruitur. Ut enim juxta **LOTHARII I. Imp.** quod
circumfertur, symbolum: **UBI MEL, IBI FEL:** ita quoque
felicitas hæc admiranda non rarò mœroris ac ægritudinis nebulis
involuta obscuratur. Nihil enim quicquam tam prospere divini-
tus hominibus datum, quin aliquid admixtum sit difficultatis.
Hinc Poetarum *κορυφαῖοι* (HOMERUM intelligo) Deos ex dupli-
ci dolio boni & mali hominibus propinare consuevisse eleganter
ludit, fortean,

*Nequis creatus stirpe mortali supra
mortalitatis jura sustollat caput.*

Cuncta ut præteream pericula, sævitiam tetri solum morbi
considerando; quot quæso cruciatuum generibus elegantissima hæc
ac perfectissima creatura adfligitur? Nulla sane pars eorum ab in-
sultibus, quocunque etiam nobilitatis splendore superbiat, immu-
nis, eheu! conspicitur.

Rectissimè inde *Solon* apud *Herodotum* in hæc erumpit ver-
ba: *πᾶν ἔστιν ἀνθρώπῳ συμφορὰ, homo quantus quantus est, ni-
hil aliud est, quàm calamitas.* Imo membrum nullum tam abje-
ctum à vulgo perhibetur, cui ut in *Drusi* apophthegmatibus *Azæi* fi-
lius eleganter loquitur, non sit hora.

Gravissimos proinde capitis, thoracis, abdominis &c. adfectus, nuda, quod dicitur, fronte si adspicimus, proh Deum immortalem! quantis dolorum exacerbationibus, quam diris modis haud fallax imago Divini Auctoris conquassatur! adeo ut partium harum sublimitatem perficando rectissime ARTABANUM XERXI dixisse statuas: *maxima semper aedificia, maxumas arbores, fulminum telis percuti.*

Nec sanè hoc sine stat malum, sed extremis quoque articulis infidiae in tantum struuntur, nobiliorum ut partium infelicitatem si non superent, proxume tamen adæquent. Non dicam de cunctis articulorum adfectibus, *ἐν αὐτῇ πάντων* sunt nobis manuum pedumque tormina. Quis non larga misericordia arthriticorum cruciatus prosequitur? Quis *Paronychia* truculenta ac periculosissima symptomata diu perferre potest? Ut ipse hic adfectus & in scriptis Medicorum æternitati consecratis, & in foro practico minus obvi-
us: ita ejus sub tyrannide gemebundi, tremebundi, furibundi cheu
apparent!

Quum igitur juxta *Plat. l. 1. de Republ. Verus Medicus corporum sit princeps*, &, ut *Rodericus à Castro lib. 2. c. 12. Medic. politic. ait*, non solum naturæ minister, sed interdum adjutor, interdum etiam opifex primarius; hinc consensu Gratióssimæ Facultatis Medicæ *Ἰατρικῆς καὶ Ἰεγερτικῆς Paronychia* pro impetrandis privilegiis Doctoralibus exhibendam duxi. Ut autem nulla fere facies tam est elegans, quæ non nævum quoque admittat, ita nullus dubito, quin solidæ eruditionis auram minus spirantia irreperint. Et sane maximis licet tantum operibus admiratio debeatur, inferiora tamen eruditus non facile despicit oculus, & justa laude non carent, maximis sunt proxima. Interea præfationis filum abrumpo, Divinam benedictionem, Patronorum benevolentiam, Eruditorum favorem, devotè exoptans.

CAPUT I.

Definitionem nominalem proponit.

I.

Definitionis hujus utilitas & necessitas à consummatissimis Philosophis, Medicis, Jctis, dudum nobilitatis splendorem accepit.

II. *Zabarella inde de trib. præcogn. c. 3. p. m. 504. Cl. Horstii in epist. p. m. 382. Johan. Bellon. Tholosati de argum. LL. c. I, ut & subtilissimi Scaligeri, de causis latine linguae c. IV. p. m. 7, quem J. Lipsius post Homerum, Hippocratem, & Aristotelem unice admiratur, auctoritate omninò contenti vivimus.*

III. Quum autem juxta Divini Platonis effatum, nomina essentialium sint vehicula & quædam rei excogitata declarationes, methodo consuetæ insistentes de ὀνοματολογίας evolutione erimus solliciti.

IV. Salutatur adfectus noster Græcè *παρωνυχία*, ut videre est apud Pollucem, à *παρὰ* & *ὄνυξ* i. e. prope unguem, quia *Valesco Tr. Chirurg. c. 24. teste*, in summitate alicujus digiti, lateribusque unguis reperitur, & est abscessus, resolutio atque fissura cutis circa radicem ungvium. *Nonus de omn. particular. morb. curat. c. 228. p. m. 26. Jacob. Rüff. de tumoribus c. 6. p. m. 15. Sennertus prax. medic. l. 5. part. I. c. 114. p. m. 78.*

V. Hippocrati dicitur more Jonico *παρωνυχία* Plinio, Marco, Aurel, Severino part. 11. effic. *Chirurg. enarrat. de sect. c. 51. p. m. 98. ut & Alexandro Benedicto lib. 29. c. 25. genere neutro, Paronychium.*

VI. *Συνωνυμίας* quod spectat, à latinorum parente *Orat. 2. pro Sext. Rosc. Amer. p. m. 44. Arnobio lib. I. Plinio de medicinis lanarum lib. 29. c. 2. p. m. 1282. Matthæo Dressero de cut. vit. p. m. 180, aliisque pluribus Reduvia vocatur.*

VII. *Sext. Pomp. Festus p. m. 167. & 400. Rediviam, inquit, alii reluvium adpellant, cum circa ungues cutis se resolvit, quia luere est solvere, quod ipsum Dion. Gothofredus in notis ad Fest. p. m. 1797. ex l. 8. ff. de re militari, & Cod. de luitione pignoris confirmat.*

VIII. His fortean commotus *Adrianus Turnebus in Advers.* re-fragante licet *Vossio in Etymolog. Ling. Latin. p. m. 430.* reluvias pro reduviis legere jubet.

IX. *Petrus Pithæus lib. 2. cap. 19.* quia apud *Q. Serenum* in veteri libro legit: *vulneribus & rudubia curandis*, putat scriptum, vulneribus & *reduvia*, inde & ruduviam seu reduviam ulceris annosi finum vocat. Alii *reduvium*; *redubiam* alii, ut ap. *Gothof. l. c.* videre est, alii denique ut *Papias*, *redubiam* *indubiam* appellitant.

X. *Fuchsius part. I. inst. Medic. l. 3. sect. 1. p. m. 214.* Παρωρυχίαν ait, barbari nostræ ætatis Medici corruptâ voce panaritium, Latini reduvias nominant. Ομόψηχον habet *Julium Cæsar. Baricellum*, *Guilhelmum Placentinum l. 1. c. 31. de apostom. in digitis quod panaritium dicitur*, *Crollium in Basil. Chym. p. m. 276. de Signatur. p. m. 37. & 46. Riverium Centur. 4. Observ. 19. p. m. 638. Barbettam in Chirurgiâ p. m. 154. Mart. Rulandum passim in centuriis.*

XI. *Paracelsus lib. de Apostem. c. 17. p. m. 439.* panaritium, vel pandalitium PASSAM vocat, hoc est, distentum, à pateo vel pando, quia extremitates digitorum distendit.

XII. *Os fraëlum* à nonnullis vocatur, quia si non rectè curatur, ut ait *Petr. Bayr in enchir. de med. hum. corp. malis l. 20. c. 9. p. m. 450.* os corrumpit & perdit juncturam unguis.

XIII. ARABICE dicitur دَاحِيسُون dáchison, & tali paronychia laborans مَدَحِيسُون medchûson.

XIV. Conveniunt ferè HISPANORUM ac ITALORUM denominationes, illis siquidem panarizo, his verò panaricio dicitur. ITALIS etiam circumscriptivè, mal del pino, mal del fico, quia ficus folia præsentissimum remedium in hoc adfectu esse perhibentur. *Avicenna lib. 4. Fen. 7. Traët. 4. c. 9. p. m. 261.*

XV. GALLIS panaris, le ver en doigt, onglee, id est ungu-ratio

XVI. DANIS, autore *Simone Paulli Tr. de equi anat. p. m. 21.* Døsebit.

XVII. PANNONIIS eleganter Körömmer ⚔, i. e. unguis venenum

nentum: digitus enim ceu à veneno intumescens, unguem non raro deponit: inde *Riverius in observ.* & alii veneni quid subesse suspicantur.

XVIII. BELGIS *Nydnagel*/quasi dicas unguis invidiosus *Zwangnagel* i. e. unguis coactus aut apostemate quodam adfectus.

XIX. GERMANIS der *Burm*/à dolore mordicativo vermis ad instar rodente: das *Mittel*/quasi mediale, medullium enim digiti infestat: *Dattel*/à dactylo seu digito quem cruciat.

XX. *Hafenrefferus lib. 2. c. 1. Nosodochii de ulcer. p. m. 164. vocat* den *Burm*/oder den schlaffenden *Burm*/ *Nagelstroh*/den *Burm* am Finger oder Zehen/eine Krankheit davon sich die Haut von den Nageln abwirfft oder schelet. *Simoni Pauli* loco supra cit. audit quoque die *Udel*/der *Füß* a ficu; tuberculum quippe est cum inflammatione.

XXI. Denique adfectus *pîc* ceu *ἀνώρου*, pariter ob genuini nominis ignorantiam, partim ob vulgi credulæ imaginationis simplicitatem dicitur das *Ungenannte*/quasi allerley Beschwerlichkeit/ vel morbis digitorum innominatus, h. e. generalis.

XXII. Reliqua Synonyma brevitatis ratione silentii spario involventes, meritò cum *ἀνώρου* capiti huic ultimum imponimus.

XXIII. Duplici fronte *παρωρυχία* apparet ex unâ enim parte herbam in petris nascentem, de quâ inferius cap. XXII. juxta diversorum auctorum placita differemus, ex alterâ verò cum vitium circa unguum radices, quando cuticulæ in filamenta quasi fit laceratio & fissura seu divisio, tum adfectum non minus dolorificum quàm periculosum, manuum extremitates pedumve infestantem, denotat.

XXIV. Recensita hinc Synonyma summoperè disconveniunt. Inde & facilè confundi solent: discerni tamen merentur, quod quædam adfectum illum levem, qui extremum solummodò cutim adfligit, uti jam diximus, e. g. *reduvia*, aut Græcorum *παρωρυχία*, notant, inde *Plutarchus lib. de inutil. pudore* risu prosequitur hepatate laborantem, quod à Medico remedia ad *reduvium* peteret, item *Galenus Comment. 2. de natur. hum. prope fin. p. m. 14. & Tullius l. c. intelligo me errare*, ait. qui cum capiti S. R. mederi debeam, *reduviam curem*. Undè etiam proverbium enatum, *reduviam cu-*

rare, i. e. rem levem. De hoc tamen impræsentiarum animus non est agere. Quædam verò propriè dictum, periculi dolorisve plenum depingunt, interiores digitorum partes corrodentem, quique propriè *παρωνυχία* seu Panaritium Arabum salutatur. *Job. Riolan. Encbir. Anatom. l. 5. c. 2. p. m. 324. Sennertus loc. cit. part. III. sect. II. c. 10. p. 348.* Et hunc nos hoc loco enodandum sumimus.

CAPUT II.

Realem definitionem ejusque formalem rationem pertractat.

I.

Consideratis itaque iis, quæ circa nomen observari debebant, notum omninò erit, rei ipsius naturam investigare, oculisque eruditorum filtrare.

II. Commodius id fieri non poterit, quàm per definitionem *παρυπατωδία*: describimus inde affectum nostrum hunc in modum:

Paronychia est tumor in extremitatibus digitorum dolorificus, cum periculosis non raro symptomatibus, ab affluxu humorum acrium inductus.

III. GENERIS, seu formalis rationis vices sustinet TUMOR: quod confirmant autores longè gravissimi, *Sennertus l. c. Anton Chalmeteus in enchirid. Chirurgico. c. 32. p. m. 131. Laz. Riverius Cent. 4. Observ. 63, p. m. 645. Petrus Pigræus in epit. præcept. medic. chirurg. Ambrosius Paræus de tum. p. n. particul. Felix Platerus, Paul Barbette in operibus Chirurgico - Anatom. c. 15. p. m. 154. & alii.*

IV. Hic autem non indistinctè Tumoris vox intelligenda venit, sed cum grano salis: elegantioribus enim Medicis distinctio inter tumores majores & minores arridet.

V. Ad majorum classem referunt eos, qui valdè satis sese conspiciendos sistunt, quos inter herniæ, Eronchocele &c.

VI. Mi-

VI. *Minoris ordinis* vero sunt nobis ii, qui oculorum sensu-
umque aciem fere subterfugere didicere, ut Erysipelas, & imprimis
præsens noster affectus. Unde tum ab aliis, tum imprimis à Lin-
denio *Patbol. sect. 2. c. 24. & 55.* ad tubercula refertur, per ea in-
telligentes congeriem suppurabilem. Extuberantia equidem in
principio solummodò levis est extremis in partibus digitorum, ne-
glecto autem morbo, tota manus, imò brachium ipsum, intumescere
consuevit.

VII. Non paucos magni tamen nominis Medicos reperire licet,
qui generis loco non tumorem, seu *abscessum, seu apostema exitu-
rale calidum* ponunt, ut *Gualterus Ryff. part. 6. Seiner Deutschen
Apotheken / p. m. 246. Jacobus Ryff c. 6. de paronychia p. m. 55.
Martinus Rulandus passim in centuriis, Petrus Forestus lib. 5. observ.
Chirurg. observ. 16. p. m. 265. Petrus Bayr pract. lib. 24. c. 18. p. m.
508.* qui ultimus non modo vocat apostema calidum, sed & dupli-
ci forma comparare adserit, partim absque, partim verò cum extu-
berantia.

IIIX. Verùm licet quis eorundem placitum, cum sint sequuti Græ-
cos, & Arabes, à quibus hoc nominis noster accepit, defendere au-
deat, nihilominus tamen cum lusus solummodò in terminis sit, *An-
dræa Vesalio* parastatâ *lib. 5. Chirurg. magn. de tumor. cap. 7. p. m.
323.* (*Græco* enim idiomate apostematis dicti seu abscessus nomen
vulgo ab iisdem pro omni tumore usurpatur, quod tamen rectè
censuram subit *Sennerti l. c. part. 1. c. 1.*) *Arabica* verò origine tu-
mor *exitura* cluit, unde quoque *Avicennæ* apostema exiturale audit,
ideo recentiorum artis procerum, ut *Gvil. Laurenbergii* mea faciam,
præceptis accuratationibus inhærere eorundemque termino uti malui-
mus: non negantes interim, & hujus tumoris materiam ad suppu-
rationem tendere, & abscessum, seu puris generati & hoc loco colle-
ctionem fieri posse.

IX. Mittimus alios, qui per *inflammationem*, imo plane per *ulcus*
definiunt, cum, uti jam diximus, nonnunquam vel inflammatio, vel
abscessus intercurrat, (*B. SCHNECK. exercit. anat. 2. l. 1. f. 1. c. 29. p. 165*)
adeoque in rei veritate hæc benè invicem conveniunt.

X. *Abu-*

X. *Abuali l. 1. fen. 2. doct. 1. cap. 5.* cui ipse *Galenus* & alii consentiunt, tumorem esse morbum compositum asserit, ex triplici morborum genere, in unam magnitudinem aggregatum: unde considerat in tumore (1) *malitiam complexionis*, seu intemperiem, quam semper cum tumore conjunctam esse vult: (2) *conformationis* seu magnitudinis auctæ, & denique (3) *unitatis solutionem* a distensione productam, si non manifestam: (quæ *Fallopii* distinctio est *l. de tumor. c. 3. p. 35.*) tamen occultam.

XI. Utut verò hoc omni tumori latius & generaliter accepto non conveniat, & illis tamen, uti noster est, qui ab affluxu humorum generantur, locum omninò invenit, & singula dicta hîc apprimè visenda sunt. Adest nimirum intemperies calida cum materia, adest tumor, & præprimis tristis sentatio: unde ab hoc symptomate tumorem dolorificum definiemus.

XII. *Dolorificus* enim valde est tumor, quia humor acris, corrosivus, venenosus ac malignus: ut *Riverio*, *Roderico a Fonseca*, *Jacobo Ryff*, *Petro Bayr*, *Fabr. Hildano Cent. 1. Observ. 99. p. m. 290.* aliisve innumeris audit, omisâ naturæ gubernatione recipit sese in locum tam angustum, & constituens ibidem sedem, vim infert repugnantî naturæ.

XIII. Inde quò diutius permanet, eò majorem malignitatem acquirit, pessimaque symptomata producit. Cum verò tantas dolorum accendat faces, facilè colligitur, calorem, de quo diximus, simul junctum esse non levem, quem tum acrimonia, tum affluxus humorum inducit & fovet.

XIV. Dolor hic est punctorius, *ὀξύπνο*, cum substantia partis affectæ sit membranæ: hinc *periculosissimis* non rarò constipatus noster conspicitur *symptomatibus*, & ob supinam ægrotantis negligentiam, dum serius paulo Medici implorat operam, ejusdemque ob imperitam manum, pravi dum humoris affluxum sensim quidem serpendo, altas tamen ponere permittit radices.

XV. Sæpe proinde de sua naturali sede & imperio mens dimovetur: nunc homo stupidus & veluti saxeæ quædam Niobe redditur, nunc furore quasi corripitur, nunc febre exiccatur, nunc deni-

denique inquietudine, motibusque convulsivis conquassatur, uti inferius latius videbimus.

CAPUT III. Subiectum exhibet.

I.

Concinne Latinorum Hippocrates, *Cornelius Celsus* l. 4. de re medic. c. 1. p. m. 63. Facilius, inquit, omnium interiorum morbi curationesque in notitiam venient, si prius eorum sedes ostendero: quibus Subiecti accuratæ notitiæ necessitatem clarè admodum posteritati reliquit.

II. Hinc meritò summi huius medici vestigiis insistentes, Subiectum paronychiæ investigare nostri putamus officii.

III. Duplex autem juxta doctorum opinionem in paronychia erui poterit, ac debet, Subiectum: scilicet QVOD, & QVO.

IV. Subiectum QVOD, symptomata gravissima considerando, totus erit homo, quatenus duabus essentialibus gaudet partibus: corporis scilicet mole, ejusdemque felicissima rectrice.

V. Subiectum QVO, est corporis machina. Quum autem corpus variis ex partibus integrantibus constet, primario inde continentem, seu solidam, subiecti loco introducimus.

VI. Subiectum QVO dispescitur iterum in principale, & minus principale.

VII. Principale communiter periostrum, licet *Paræus* l. 7. de tum. p. n. particul. c. 19. capacitatem istam inter os & periostrum malit, fidum morbi, causæque morbificæ generatæ diversorium dici meretur. Hoc cum membrana sit tenuis & nervea, facile patet, quam *ἐναισθητὴς* fit, seu quam exquisitissime sentiat.

VIII. Minus principale seu adæquatum sunt digiti manuum, & pedum, eorumque maxime extrema, cum annexis partibus, quæ in consensum trahuntur: ut sunt cuticula, cutis, carnosæ progenies, venæ, arteriæ, ad vitam ac alimentum ad unguium radices porrectæ, imprimis vero nervi, ad sensum huc euntes, & tendines nervorum

rum afficiuntur, imo & ipsa ossa, quæ non raro corrosionem & cariæ ob hanc ipsam causam patiuntur.

IX. Testatur experientia, pollicem inprimis huic malo subijci, seu quod major sit; seu quod præ reliquis injuriis externis & laboribus sit expositus, præcipuè cum ipse singulorum reliquorum quasi minister & adjutor existat, unde, quod semper in officio est, apud Græcos ἀντίχειρ, quasi manus altera vocatur.

CAPUT IV

Causas scrutatur, immediatam, & mediatas proximiores.

I.

Causarum cognitio felices reddit doctrinarum possesores, scripsit Illustris quondam noster Rolsincius l. 2. Meth. Comment. sect. 4. c. 1. metus omnes & inexorabile fatum subjicit pedibus & ἀμεταπύστες reddit curiosos: qua & in sententia sunt Avicenna prim. quarti, Joh. Math. de Gradi Consil. XV. p. m. 14. Hipp. lib. de flat. & c.

II. Meritò proinde summorum virorum sententiæ locum relicturi, causarum cognitionem aggredimur.

III. IMMEDIATA seu PROXUMA est πῆμα συνιστέμενον, seu affluxus humoris, factus jam & consistens. Τοῦτο γὰρ ἐναργὲς ἐστὶν, ὡς Ὑππὲς ἔ τῷ οἰσιν ὁδονώμενος μοχλοῖς, siquidem id palam est, ait Pergamenus, partibus dolentibus quippiam influere l. 1. de simpl. med. fac. c. 26.

IV. MEDIATÆ PROXIMIORIS titulum sibi vindicat, Πῆμα ὁσμώμενον seu influxum faciens & irruens humor calidus, biliosus, & acris seu sanguis, non quidem floridus, sed humoribus fervidis, tenuibus, nitrosis, ardentibus, imo diutius in parte adfecta si residet, venenatis, ac malignis inquinatus, conspurcatus.

V. Hinc quoad essentiam, Barbettus acrimoniam hanc arcescit vel à bile, vel à sero, l. c. p. m. 154. Sennertus à sanguine adusto, & atrabilario, alii à sanguine falso-acri, non tam re quàm verbis disidentes, præcipuè cum ipsum malum gradibus & sævitia variet.

VI. Succu pancreatici defensores eundem ceu genuinum fontem intro-

introducere possunt. *Theophr. Paracelsus lib. de apostem. & ulceribus p. m. 439.* in corporibus nostris duplicem putrefactionis ac corruptionis constituit speciem, unam in humoribus *naturalibus*, in *minoribus* alteram, tandemque concludit, affectum nostrum pro vera matre habere humores minerales, quia eo ipso, addens rationem, in loco residet radix Φ i, eundemque transmigrat.

VII. Nonnulli vaporosum & tum accusant, ut *Vesalius lib. V. c. 7. Chirurg. magn. p. m. 323.* An vero ex humida materia, vel utraque mixta proveniat, non una eruditorum videtur opinio; proxime tamen ad veritatis splendorem postrema accedere videtur.

IIIX. Quemadmodum autem nihil quicquam tam perfectum, quod non etiam imperfecti quidquam in consortium trahat: ita licet massa sanguinea, coctionis æque ac depurationis elegantiam considerando, singulari felicitatis encomio superbire videatur, nihilominus tamen humoribus biliosis aliisque vitiosis debilioribus partibus insignique sensu pollentibus infausti sideris ad instar influendo, non sine insigni crudelitatis nota infamis existit.

IX. Peccat ergo h. l. sanguis *quoad essendi modum*, tum *quantitate*, si plus ad partem hanc affluit, quam à natura ipsi fuit adsignatum, si extravasetur, quantillum etiam illud sit, & hinc ob prohibitam reassumptionem stagnet, & corrumpatur: hinc apertione facta macula una vel altera rubicundior sæpe occurrit, ceu causa continens omnis mali.

X. Peccat etiam *qualitate* acri, corrosiva, & infesta. Insigni igitur acrimoniæ massa hæc maritata facillimo negotio ruptionem ac fluxionem instituere potens est. *Motu* denique peccat *generationis & locali*.

XI. Hinc considerata, membrum *mandans, recipiens, via & modus*.

XII. *Pars mittens* est tota massa sanguinea, scoriis talismodi peregrinis inquinata, concurrunt viscera coctioni & sanguificationi dicata, hepar imprimis aliaque, dum certa quædam ob impedimenta munia naturalia rite atque decenter obire non valent: inde sanguis particulis biliosis, acribus &c. imprægnatur, quæ infausto auspicio parti affectæ affiguntur atque communicantur.

XIII. Cum igitur *Gordon in clarificat. c. 28.* ut & *Petrus Forestum l. c. p. m. 167.* ungues sint ex superfluitatibus cordis, & ideo sint quasi ejusdem emunctoria, cum digiti manuum & pedum ceu pars recipiens totius extrema, & adeo justo debiliores & remotiores, hinc eo locorum vitiosam fibique valde inimicam materiam ablegare consuevit natura. Promouent fluxionem *calor & dolor*, adeoque tum recipiendo aptiorem, tum repellendis a se humoribus ineptiorem reddunt partem.

XIV. *Vie* possunt esse & venæ, & arteriæ hic desinentes, quarum beneficio sanguinis circulatio earundemque partium nutritio obitur, *Simon Paulli in Botan. quadrip. p. m. III.* illæ quatenus non reforbent, quod debebant, hæ quatenus adducunt peccantem materiam. Nec ipsa vasa lymphatica penitus sunt infontia, quocunque modo in opere suo turbata, quo minus revehere, quem debent, latitem possint. Subsistens hic extra sphaeram suam materia magna activitate ferociam suam exercet, & in malignam ac venenatam quasi non raro degenerat.

CAPUT V

Mediatae remotiores causas considerat.

I.

Ex NATURALIUM causarum numero primas obtinet TEMPERAMENTUM, calidum scilicet & siccum aptum natum est ad producendum ejuscemodi biliosorum humorum effectum.

II. HÆREDITARIAM dispositionem non pauci admittunt.

III. Corpora plethorica, ut & cacochymica facillime paronychia corripit, testatur *Simon Paulli l. c.*

IV. ÆTAS JUVENILIS in hac dolorum officina, reliqua tamen ætate non exclusa, imprimis contorquetur.

V. SEXUS *nobilior* sequiori palmam, si heic quoque palma datur, præripit, viscera enim fervidiori sanguine pollent. Sequioris sexus homines non penitus immunes esse, experientia hætenus docuit. Superiori enim anno variis in vicinia locis, foemininum
genus

gentis æquæ ac masculinum sub adfectus nostri tyrannide ingemiscere coactum est.

VI. Inter NONNATURALES AER & calore & frigore excelsus, malo huic fomitem largiter subministrat, frigore coagulando, & sanguinis reasumptionem impediendo, calore vero humores fluxiles reddendo: unde de anni partibus quicquam addere supervacaneum existimamus. Hinc imprimis ab inæqualitate subitanea, ut quando ex aëre rigida membra statim foco calido admoventur; vel vice versa, cum motu & labore calientia extrema ∇ æ frigida immerguntur, oriri malum hoc observavit Magnificus *Dn. Præses, Præceptor ac Promotor noster nunquam satis laudandus*. Accusari etiam meretur ∇ fervida, qua juxta *Platerum* ancillæ digitos frequenter perurunt, ut & ∇ nimis frigida *test. Rod. à Fonseca Consult. XIV. p. m. 61.* candelarum emunctio, ut & $\odot \odot \text{☞}$, quo plerumque nitoris ac elegantiae causâ manus lavantur, *Matth. Glandorp. c. 2. de paronychi. caus. p. m. 51. &c.*

VII. CIBUS & quantitate & qualitate aliisque modis peccans non minimum confert, esculenta pipere, Zzere, aut alia aromatum specie, ut & Θ e nimis conspersa ac condita, valvas quasi bipatentes aperiunt. Mediocritas enim quum sit vita & anima bonæ valetudinis, hinc ingestio nimia non modo tonum ventriculi dejicit, sed & mater hujus feracissima evadit.

IIIX. Par ratio est POTUS, si vinum, Ψ , aliaque potulenta fortiora sanguini $\Phi\lambda\acute{o}\gamma\omega\sigma\iota\nu$ inducentia, & partes Δ reas & acres inferentia peregrinas copiosius hauriantur.

IX. VIGILIAE mediocritatis limites excedentes suppetias ferunt. EXCRETA & RETENTA, sudor prohibitus, *Simon Paulli l. c. p. m. III.* & denique ♀ suum satis conferunt symbolum.

X. Τα ψυχικά πάθη quoque concurrunt, imprimis vero furiosæ bilis commotio, ira scilicet, qua totum concutitur corpus, sanguis cum suo freno incalescit, conturbatur &c.

XI. METUS lethali suo veneno omnibus exitio esse solet, proin ad $\pi\alpha\rho\omega\nu\chi\acute{\iota}\alpha\varsigma \gamma\acute{\epsilon}\nu\epsilon\sigma\iota\nu$ multum eundem facere, in propatulo est.

XII. PRÆTERNATURALES capiti colophonem imponunt, ut contusio, distorsio, violenta tensio, festucae digito intrusa, punctura,

δυσκοπία viscerum & in toto cachexia &c. ex quibus infelix hicce fœtus non rarò exclusus observatur.

XIII. *Simon Paulli l. sep. cit. p. m. 110.* observationem domesticam communicando *Observare*, inquit, *mibi visus sum, vel rarer, vel nunquam paronychiam, ab internis causis obsidere digitos, nisi malorum morum morbi, ut sunt malignæ & petechiales febres, diuturnæ, tertiæ, non ut par erat, per crisin desinentes, itemque variolæ & morbilli præcesserint; maximè ubi error vel ab ægro vel adstantibus in iis committitur.*

CAPUT VI.

Differentias examinat.

I.

Paronychiæ differentias eruendo tripartitas adinvenimus, ratione generis, subiecti, & causæ.

II. GENERIS RATIONE, alia est *superficialis*, alia verò *profunda*: illa cum exiguo dolore extremas tantummodò partes, hæc verò nervos, tendines, ossa &c. immanissimis cruciatibus ac doloribus premit.

III. *Petrus Bayr. Pract. lib. 24. c. 18. p. m. 508.* affectum nostrum apostema calidum vocando duplicis generis esse asserit: unum, in quo nullus apparet tumor, neque ullum ad exituram signum, continuo tamen ac intensissimo dolore maximoque periculo conflatum; alterum verò *cum tumore* manifesto ac dolore, quo de *Avicenna l. c.* videndus.

IV. *παρωνυχία* à Pterygio differre dicitur, quod illa plerumque sit morbus, hoc vero symptoma: prior est abscessus circa unguum radices coiens; posterior vero carnis salutatur incrementum, partem tantum operiens, ex Paronychia aut alia causa proveniens. *Paul. Æginet. L. XIV. de re medica c. LXXI. p. m. 499.*

V. RATIONE SUBJECTI, alia extremam solum cutim affligit, ut reduvia: alia vero interiores partes, ut duræ matris processum periostium scilicet, & os ipsum clandestino modo invadit.

VI, Alia

VI. Alia insuper in manuum, in pedum verò alia digitis reperitur.
Theophr. Paracels. de myster. verm. c. IX. p. m. 1092.

VII. Alia anterioris, medii alia, in tertio alia reclinat digito, *veram* & genuinam prope unguem, *spuriam* vero juxta reliquas partes reperire licebit, alia in latere unguis, alia in dorso digiti, alia in ventre ejusdem.

IIIX. CAUSÆ RATIONE tot differentiæ occurrunt, quot causæ illam variant, alia a bilioso, alia ab atrabilario humore, alia benigna, alia maligna.

CAPUT VII.

Signa diagnostica enumerat.

I.

Dum in signis diagnosticis exprimendis occupati vivimus, incidit nobis in mentem elegantissima illa *Tralliani* sententia, ὁ ἀ-
εῖσα γνῶς, ἀεὶσα ἰεργάτιν, qui bene cognoscit, bene curat. Signa pro-
 inde sequentia & *imminentem* & *præsentem* infaustum hospitem pro-
 dunt, & quidem

II. IMMINESTEM dolor circa radices unguium exiguus, levis,
 & adhuc tolerabilis.

III. PRÆSENTEM notant ESSENTIALITER INHÆRENTIA,
 DOLOR exquisitissimus, imo exquisito exquisitior, seu cruciatus
 incredibiles; TUMORIS æque ac RUBORIS præsentia; PULSA-
 TIO grandis. quæ ob consensum nervorum per totum sæpe brachi-
 um extenduntur.

IV. ESSENTIALITER CONSEQUENTIA *Symptomata* alia i-
 tem manifestant. Cooriuntur sæpe febres, vigiliæ, deliria, quæ per
 consensum a periosio dependent, appetitus omnimoda prostratio,
 hypothyriæ, inquietudo &c. quæ passim à *Foresto*, *Sennerto*, *Fonsæca*,
Jacob Ryf, *Barbette l. c.* aliisque autoribus sufficienter satis recen-
 untur. Si dolor non cesset, sæpe graviora plura symptomata acci-
 unt, de quibus jam plura.

V. CAUSÆ prægressæ & SIMILITUDO si consentiant, affectus
 præsentiam eo magis demonstrant.

CAPUT VIII.

Signa prognostica refert.

I.

Medicum prænotionem adhibere optimum esse mihi videtur, *Divinus inquit Senex in principio prænotionum*: innuens, quod Medicus prognosi in morbis profligandis maxumoperè opus habeat. Prognoseos enim hac luce, *B. Rolsincio teste*, irradiatus Medicus in commentatoria speciali medicina, certior fieri potest, an remedia rei p. n. signis diagnosticis patefacta applicare operæ sit pretium: an verò ceu incurabilis æger sit deferendus: Imo hac sola Medicus famæ suæ & auctoritati optumè consulere vulgique calumnias evitare valet.

II. Hanc igitur probe ut observemus, methodum ordinariam retinendo ex **GENERE** pronunciare animus est *salutem & mortem*.

III. Liceat autem in principio cum levi dolore partem invadat affectam morbus, adeo ut non raro susque deque habeatur, nihilominus tamen altius paulo si irrepserit, tristissimum eventum fortitus est, teste *Glandorpio Observ. V p. m. 163. Jacob Ryff l. c. Johan de Vigo*, imo quia, ut *Guido ait, nervosas occupat partes gangrenaque sepius presto est*, hinc facili negotio accedente ægrotantium supina negligentia nonnullos mortem sibi accelerasse practicorum monumenta testantur, & *Mercurialis* autor est *l. c.* se vidisse interdum aliquos periclitatos de vitâ: imo saepe ex dolore mortuus æger, observante *Barbett, l. c.*

IV. **RATIONE SUBJECTI**, dum malum adhuc quasi in cunis, & erudita accedit manus, faciles in promittendo esse possumus.

V. In *Plethorico* corpore acriores, breviores tamen, in *cacochymico* vero diuturniores excitare dolores, nonnulli sibi persuadent.

VI. Quo materia ab osse & periostio remotior, eo faciliorem admittit curam, & vice versa. Quo magis conspicuus est tumor, eò melior s. *aphor. 63.*

VII. Extremam occupans partem periculosior, quàm 2. l. 3. digitorum partem.

IX. **CAUSARUM RATIONE**, si humores adhuc sunt benigni, affectus feliciter terminatur: sin minus, ossis, articuli extremi, imo

totius digiti corruptio, & pro re natâ vitæ periculum metuenda. Quò fervidior enim & malignior humor peccans, eò etiam symptomata graviora, & contra.

IX. LONGITUDO atque BREVITAS ex dictis jam resplendet: cum calidus sit tumor, citius terminatur in se & suâ naturâ, ratione verò symptomatum protrahi etiam diutius potest.

X. MODUS EVENTUS varius esse solet. Ad *salutem* terminatur, si humor dissipari aptus sit 1. *resolutione* seu *discussione*, vel *ad extra* resolutâ in halitus & expirante materiâ: vel *ad intra*, si recipiatur iterum in vasa aliisque modis diffletur, quæ terminatio optima est, & ex eo patescit, si membrum se ipso fiat levius, calor, dolor, & pulsatio cesset 2. *Suppuratione*, coctâ & maturatâ materiâ adeoque per incisionem, purisque extractionem, ut *Fonsæca l. c.* adserit.

XI. Ad finistrum eventum & mortem quandoque finitur *corruptione* partis, quando inverso partis temperamento & victo calore naturali actio partis perit, & emoritur. Malum denique est, si *induretur*.

CAPUT IX Methodum medendi delineat.

I.

Morbi notitia expeditam nunc, ut *Cl. Hoffmanni de ~ vitali mea* faciam, reddit medicamentorum inventionem. Quare curationem methodo medendi, materiisque præsidiorum feliciter absolvere valemus.

II. METHODUS MEDENDI tribus gaudet indicationibus, *curatoriâ*, *præservatoriâ*, & denique *vitali*.

III. CURATORIA infaustum hospitem eliminandum anxie inculcat. PRÆSERVATORIA in causis perlustrandis, corrigendis, penitusque extirpandis occupatur. VITALIS partis affectæ curam gerens, universi corporis custodiam per appropriatum analepticum & reficiens nectar avet, exoptat, partes mittentes corrigendo, recipientes verò roborando.

IV. Hisce igitur indicationibus manus auxiliatrices suppeditare possumus, ex tribus usitatis fontibus *Chirurgico*, *Pharmaceutico*, *Dietetico*.

CAPUT X

Curationem inchoat ex Chirurgiâ.

I.

FONS CHIRURGICUS ad subjugandum naturalis regiminis antagonistam egregia præfidia sistit, primas verò generosissimum illud auctoritate, ratione, crebrâ experientiâ nobilitatum obtinet.

II. VENÆ SECTIO hoc nominis splendore exornanda, inque usum trahenda; quippe quæ balsamum vitæ nostræ a furibundæ bilis effervescentiâ accensum refrigerat, infimulque febrilis caloris focum destruere laudabiliter didicit. Commendatur hoc nomine eadem ab *Abuali*, *Jacob. Ryff l. c. p. m. 56. Mercurial. de decoratione. Glandorp. l. c. p. m. 69. P. Bayr. l. c. p. m. 508. Anton. Chalm. in enchir. Chirurg. cap. XXXIX. p. m. 131. Forest. l. sæpius citat. & aliis.*

III. Administratio V. S. observat & quantitatem & qualitatem, prior ex sanguinis copiâ, posterior vero è viribus ægrotantis reliquisque circumstantiis perpendenda, *Gland. l. c.*

IV. ASTROLOGI, juxta *Schoner. can. 3. part. Isag.* svadent, ut eâ horâ sanguis mittatur, quâ horoscopus signo gaudet idoneo, dominusque ascendentis & D in IV. & VIII. domo conspiciuntur, neque ullum cum domino VIII. ceu mortis, domus aspectum habent, *Organus part. 3. cap. XII. fol. m. 528. Iob. M. Castellanus in Phylactirio phlebotomiæ & arteriatomiæ p. m. 14. Iob. Poppius in hodogetico chymico p. m. 313.*

V. *Rodericus à Fonseca l. c.* V. S. non in principio admittit, interea tamen majorem assensum merentur *Mercurialis, l. c. Iob. de Vigo lib. 2. de apost. tract. VII. c. 5. fol. m. XXXVI.* & alii non infimi subsellii doctores, observantes, quod in principio statim sanguinis emissio summe proficua nonnullis fuerit.

VI. LOCUS concedendus in opposito latere, ita, ut si digitus dextræ laboret, sinistræ subducendus sanguis, & vice versâ. *Iob. de Vigo l. c.*

VII. Quod si generosissimum hoc præsidium adhiberi nequeat, cucurbitulæ ejus in locum commodè subrogari queunt.

IIIX. *Frictiones, Sinapismus, Vescicatoria, &c.* à nonnullis admittuntur.

CAPUT

CAPUT XI

Curationem continet ex Pharmacia.

I.

Fontis hujus benignitatem revelanti tria præprimis observanda veniunt; *Materie jamjam generate evacuatio, cause morbificæ emendatio, & denique concomitantium symptomatum refrenatio*: quod tum internis, tum externis perfici potest.

II. Inter evacuantia primo loco universalia sese fiſtunt PURGANTIA, tum *leniora*; tum, ſi *cacochymia* id poſtulet, paulò *fortiora*.

III. Inter LENIENTIA laudem meretur *cassia ſolutiva, cryſtall. Fri, eſſent. Fri, ☿ ☉ lat. M P. aloet. Magnif. Dr. Præſidis, MP. Marear. Quercet. &c.*

IV. FORTIORA ægrotantis ſi ferant vires, in uſum trahenda, non omiſſis pro re nata præparantibus, bilem refrenantibus, & corrigentibus.

Rx. pulv. cathol. gr. XXIV. ☿ ☉ lat.
elaofacch. anis. a. gr. iij. M. F. Pulv. S. Laxit = Pulver.

Rx. pulv. veget. laxat. Roſſincii ʒj.
☉ bezoart. pulv. polychreſt a. gr. IV.
elaofacch. citr. gr. vj. M. F. Pulvis.

V. Quibus Apozema arridet cholagogum, ſequens paradigmatis loco eſſe potest.

Rx. rad. acetof. cichor. ana ʒiij.
ſummit. fumar. fl. borag. bugloſs. ana mß.
tamarind. uvar. paſs. ana ʒß.
ſol. ſen. Alex. rhab. ana ʒij.
prun. Damasc. par. vj. ſem. anis. ʒj.
Coq. in ſ. q. ſer. lact. capr. Rx. colat. ʒiij.
ſir. de cich. c. rhab. ʒß. ☿ ☉ lat. ʒß. M. F. Hauſtus.

VI. Potio purgans à B. Dn. Doctore Friderici, eo nomine commenda ta nobis fuit ſequens.

Rx. rad. ʒ. aperient. ana ʒij. Coq. in ſ. q. ∇ ſimpl.
Colat. ʒiij. adde ſirup. fl. 4. cord. ʒß.
extraet. rhab. gr. XV. ſpec. diagalap. M. ʒj.
elaofacch. ſænicul. gr. iij. M. F. Potio S. Purgiv = Trancſ
auf 1. mahl. C 2 VII.

VII. *Petrus Ioh. Faber, Chirurg. Spagyr. c. 7. p. m. 22.* in collectaneis malis pilulam unicam ☿ seu aquilæ chemicæ, vel pilulam pan-chymagogi commendat.

IIX. VOMITORIA cum biliosorum humorum saburram, a viam affectantem, feliciori successu è corporibus nostris eliminant, viribus adhuc robustis omnino concedi possunt, imprimis *manus Dei*, ut eleganter *Matthiolus* ☿ egregias ob virtutes vocat, ☉ ☉ li, *specificum emeticum Mynsichti, elect. diasar. Fernel. &c.*

IX. DIAPHORETICORUM & sudoriferorum usus sanguinem depurando, vitiosamque materiam ad corporis ambitum deducendo, quantum præstet tum in hoc, tum in aliis ejusmodi tumoribus, vix dici potest. Commendata hæc ipsa sunt quàm maxime à *Simone Pauli l. c. p. m. III. Glandorpio obs. 10. aliisque*. Sic enim affluxus inhibetur, id vero quod influxit jam, discutitur, adeoque massæ sanguineæ libera transpiratio conciliatur.

℞. ∇ card. ben. bezoard. comp. ana ℥ij.

mixt. simpl. antiscorb. elect. diasar. Frac. ana ℥j.

℞. lign. sanct. ℥j. sir. papav. rb. ℥j. M. F. Potio.

℞. bez. ☿ ℥j. pulv. absorbent. Magnif. Dn. D. Pras. ℥℞. mag. anod. ḡ. vj. M. F. Pulvis.

℞. malvat. sambuc. ℞ rectif. ana ℥j. ☉ li ☿ gt. vj. essent. lign. ℥j. M. S. Schwiß = Mixture.

X. DIURETICA quandoque non negligenda, temperata scilicet, & improprie dicta, quæ sanguinem simul alterant, serum superfluum ejiciunt, acrius temperant, diluunt, vel absorbent, ceu ☿ ☉, ☉, ☿, ∇ & fragar. endiv. taraxac. lap. 69. ☉ ☉ tum, ☉ cichor. Rra viol. cichor. philosoph. aliaque similia in praxi nota sunt, ex quibus varia efficiuntur composita.

CAPUT XII

Alterantia interna & externa depromit.

I.

Alterantia his subjungi possunt varia, quæ & in genere humorum acrimoniam, mordacitatem & fervorem, ceu causam morbi-

morbificam corrigere, & visceribus fomitem subministrantibus succurrere apta nata sunt.

II. Si scorbutus se immisceat, antiscorbutica temperata; si hepar in scoriarum Arearum segregatione vacillet, aperientia & tonica alia; si uterus in culpâ simul sit, hysterica, & sic porro alia quoque opponi queant.

III. *Specificæ* seu appropriata alterantia interna peculiariter quidem à practicis annotata non sunt. Licebit tamen nobis ex ductu & observatione *Magnif. Dn. D. Præsidis nostri* commendare hoc titulo præter jam allata sudorifera inprimis.

IV. 1. *Nervina*, quæ aliàs in doloribus & irritatione nervosarum & membranarum partium proficua usus monstravit, quibus omnibus palmam præripiunt *ZZrina* v. g. *ZZr. nat. ungarica*, *Oris*, *data*, *panac. Hartm. specif. cephalicum*, & alia *Æ Ori pollentia*, *⊖ volat.* & *essentia lumbric. terrestr. essent. succini, myrrhæ balsam. essent lign.* *nervinus* & *lumbric. volat.* *Magnif. Dn. D. Præsidis*, *⊖ volatilia essenti- ficata*, *⊖ l. cephal. striatus* & similia, quæ quantum possint in solando hoc ardore & dolore, illis nosse datum est, quibus & selectior & accuratior praxis obtigit.

V. 2. *Anodyna*, utpote symptomati urgenti, & varia alia post se trahenti, debita, quæ circa horam somni commodè interponi & propinari queunt, *papaveracea scilicet, requies Nicol. Philon. Roman. diacodium*, *sirupus papav. rhæad.* inprimis *laudanum opiatum simplex* & *Oris*, *magisterium Oris anodynum* *Magnif. Dn. D. Præsidis*, *essent. catarthalis* & *anodyna ejusdem*, *essent. li anodyna*, *trochisci narcot. Plateri*, & quæ ex hoc benedicto fonte plura alia depromi. possunt.

VI. 3. *Cordialia* analeptica & resicientia cum iisdem maritalari non ineptum est, ut ubique gratiosum se præstet morborum artifex.

Rx. *essent. lumbric. compos. lignor. ana 3j.*

⊖ volat. ʒj. R anod. ʒß M. in vitro.

Rx. *specif. cephal. ʒiv. magist. anod. ʒß.*

cleosacch. cinam. ʒ iij. M. F. Pulvis.

Rx. *essent. succin. ʒris. R corall.*

c. menstr. cælesti parat. a. 3ß.

essent. op. liquid. gt. vj. M.

*Rx. conf. de hyacinth. ʒj. laud. op. Solar. ḡ iij.
sacch. q. f. M. F. l. a. Bolus.*

Quoad EXTERNA, duplex ab autoribus proponitur medendi ratio, vera scilicet, & falsa.

II. X. FALSÆ ansam largiter suppeditant *Paracelsus*, *Crollius*, & quamplures alii, qui ridiculè admodum sacrâ vulgi simplicitate persuasi, vermem semper in medio pustulæ latentem, nigello capite præditum, adstruunt, qualis observatio extat apud *Marcell. Cumanum*, *observ. 9. p. 39. & Agricola*, *Chirurg. parv. Tr. V. p. m. 483. Ioh. Schenckium tom. II. Observ. Medicinal. L. V. de manibus obs. 36. p. m. 314.*

IX. Horum hypothesibus innutriti, etiamnum idem propugnando microscopii fide innixi, mira sibi imaginantur. Hinc ∇æ strepitum & tumultum paronychiâ laborantibus summè noxium vociferantur.

X. Falsam opinionem excipit falsa cura, adeò quidem, ut *Paracelsus l. c.* eandem per characteres absolvat, cujus fortean ductu exorcista quidam chartæ, cui sequens inscripta: † *Uti* † *credis* † *ita* † *Tibi* † *eveniat* † trium dierum spatio firmiter digitum involvebat, infaussto tamen successu vanitatis suæ poenas dando.

XI. *Marcellus de medicam. lib. c. XII. p. m. 321.* non dissimili philosophiâ sequentia fabulatur; *de paronychia parietem continges; & rursum digitum ducens dices ter: pu, pu, pu, nunquam ego te videam per parietem repere.* Plura vide apud *Glandorpium l. c. p. m. 98. Jacob Ryff l. c. p. m. 56.* Absint hæc è foro nostro, qui Christiani sumus, cum ipsi Medici pagani talia averfentur.

XII. Quod autem paronychiâ laborantes ∇æ strepitum, molas &c. ferre non possint, non *vermi* juxta Paracelsisticas nugas adscribendum, sed potius *spiritibus mentique*; hi enim satis ab affectus nostri torminibus interturbati, illo ex tumultu magis interturbantur. *Camerarius Cent. 6. Mem. med. & mirabil. natur. arcan. part. XXXII. p. m. 45.* licet *Agricola l. c. p. 491.* experimento contrarium probare velit.

XIII. VERA ex methodo medendi Galenica resplendet; cum enim omnibus p. n. tumoribus communis & universalis indicatio sit evacuatio, auctore *Pergameno 14. M. M. cap. 2.* quæ respicit tum hu-

humorem *influentem* adhuc, qui divertendus est, tum eum, qui jam *fluxit*, hinc verbis ejusdem *l. c. c. 9.* vel retro regerere humorem, si in membro procubuit, oportet, vel ipsum digerere. Hinc pro temporis diversitate topica variant, & conveniunt.

XIV. (1) REPELLENTIA & acrimoniam obtundentia tum acida, tum aquea & terrea frigida, sive adstringant simul, sive sine adstrictione refrigerent, sic, ut quædam solum citemus, commendatur submergendi digiti in ∇ frig. mucil. sem. Psyll. c. \mp album ov. succ. solan. porlac. lenticula palustris &c. \mp imprimis aptum est ἀπονεύειν τὸ ἐν φερόμενον, id quod accurrit repellere *l. i. simpl. c. 26.* sive solum, sive cum \odot , rosar. i. κατ. τοπ. c. 6. hinc jubetur à quàm plurimis ut \mp frigido vel calido pars affecta foveatur. Juvant etiam alia acida & austera, sic multos liberavit solus fumus \triangle vivi, item stercus vacuum. Ex compositis laudantur ungu. refriger. Galen, ungu. de lithargyr. simpl. album camphor. & imprimis ex succis herbar. refriger. solan. porlac. hyoscyam. &c. cum sevo hircino paratum.

XV. Defensiva etiam partibus vicinis seu manui ipsi applicanda sic pertinent ex empl. defensiv. & similibus. Composita plura videntur esse apud Glandorpium, Sennertum, aliosque.

Rx. \mp knisat. \mathfrak{z} ij. album ov. n. j.
mucilag. sem. psyll. cum ∇ solan. extr. \mathfrak{z} ß.
camph. \mathfrak{g} vj. M.

Rx. epithem. de marmor. cærul. B. DD. Schenckii \mathfrak{z} iii.
 \odot camph. gt. vj. M. imponatur cum linteo parti affectæ.
Comprimat, discutit, & si illud fieri non possit, suppurationem promovet.

XVI. Notandum tamen, quod frigidioribus repellentibus cautè & solum in principio, nec diu insistendum sit. Ipsa enim, verbis Avicennæ. quando transit hora primæ principii, inspissant cutim & obsident materiam, & vehementior fit dolor, præsertim si corpus sit magis atrochymicum. Unde etiam roborantia addi queunt.

XVII. (2) DIGERENTIA, quæ demulcentia sunt paregorica, & *ἀναδυμνάσας*, quam præstant, conspicua, seu, quod requirit Galenus *l. 8. de simpl. med. fac. c. 28.* quæ sunt tenuium partium, morfu erant, exsiccant, vel etiam blandè humectant & foveant calorem
nati-

nativum partis, vel sola adhibita, vel cum leniter repellentibus, prout usus postulat, curatè permixta, qualia sunt *fl. chamom. sambuc. melilot. farina lini, fœni græci, fol. hyoscyam.* cum aliis adhibita.

XIIX. Inprimis omni seculorum memoria à *Dioscoride, Galeno, &* aliis laudatissima ad hunc affectum fuit herba, ob hoc ipsum adeptæ iomen, *PARONYCHIA*, sed quasi invideretur tantum remedium, disensus tot autorum, quæ & qualis ea sit, dubium reddidit.

XIX. Ut enim alias taceamus plures autorum hypotheses, à *Matthiolo* pro eâ exhibetur *adiantum & paronychia altera, à Dodonæo, paronychia alfinefolia, & altera minor crenata, rutacea*, licet uterque de veritate dubitet, à *Lonicero, Ryff, Gesnero, lunaria italica*, ab hoc etiam *lunaria arthritica*, cui contra *Matthiolum* utrique potius folia pepli attribuit *l. de lunar. p. 41.*

XX. Demonstravit nobis aliam quoque elegantem speciem, quæ flosculorum foliatâ serie unguem humanum eleganter hinc & inde refert, nunquam satis laudandus Magnificus Dn. D. Præses, quam ipsam quoque non minimam virtutem ad paronychiam possidere statuit.

XXI. *Glandorpius c. 7. p. m. 136. & Simon Paulli in Botan. quadripart. p. m. 109.* interim *alfinefoliam Dodonæi & Lobelii* ab experientiâ commendant, quæ, vel modò laudata, locum tueri hunc potest.

XXII. Communissimum quoque est, ut digitus æger in panem similagineum calidum quantum perferre potest, ponatur.

XXIII. Ex ANIMALI REGNO plura egregiè hic se gerunt. Sic *vermes dipsaci*, ad quartanam aliàs tantoperè à *Dioscoride & Scaligero* laudati, & *millepedes* commendantur.

XXIV. De *talpis* illustre est encomium *Helmontii*. Vidi, inquit, cum paneritium digitus sponderat, perque noctes aliquot infomne torserat miserè, huic cruor, & recens pellis talpæ circumducta mane crastino digitum à nocturnâ quiete restituit *in L. Butler inscripto pag. 471.*

XXV. Quædam mulier apud *Riverium Cent. 4. obs. 19. & 63.* paritio laborans immisit digitum in aurem felis, & intra horæ quadrantem sanata est.

XXVI. Sic etiam pellicula ovi interna apposita commendatur. Nonnulli sordida non curantes, cerumen aurium & stercus humanam apponere, imò digitum dolentem illuc mittere jubent, ubi calor & hujus virtus ipsum fovere queunt.

XXVII. Præprimis verò lumbrici vivi impositi laudem merentur. Hinc *Julius Caesar Baricellus*, ego, inquit, profecto certissimo experimento comprobavi lumbricos vivos super panaritium alligatos, præsertim in principio, mirabiliter apostema compescere & sanare, ut vix diei spatium adfectus pertranseat. Consentit *Thomas Kesler*. *Process. Chim. LXIV. p. m. 181. Crollius de signat. p. m. 46. Paracels. lib. princip. seu de myster. verm. c. IX. p. m. 1092. & alii.*

XXIX. Ex MINERALIBUS ðnina, & Arata officium faciunt, sic    Aris Rulandi & empl. di   Aris ejusdem laudantur. Pertinent huc & alia, quæ cicatrisant, mundificant & exsiccant, ulceri aperto jam debita.

XXIX. Nunc composita quoque specifica adsocianda sunt, exempli loco esse possunt sequentia:

R   herb. paronych. mj. fol. hyoscyam. parietar.
fl. aneth. cort. sambuc. virid. aa m  .
farin. lin.   j.

Coq. in lact. f. vel chalybeato. F. l. a. Cataplasma, applicetur calid  .

R   empl. de hyosc. c. paronych. D. D. Præsidis    .
pulu. lumbric. terrestr.   j. theriac.   j. M. F. l. a. Em-
plastrum.

R   empl. de sperm. ranar. camphorat.   iij.
bals. hyper. Aris Ruland. a.    . M.

XXX. Quod si ad suppurationem jam magis videatur tendere, hisce substitui vel jungi queunt empl. diachyl. f. & compos. de melil. basil. de sevo cervin. unguentum maturativum & c.

XXXI. *Andreas Libavius lib. II. Alchim. tract. II. p. m. 147.* Balsamum suum ad paronychia laudat. *Gualterus Ryff im Confect-Buch und Haus-Apotheken / part. 6. p. m. 246.* sequens offert unguentum.

Rx. O mastich. olivar. immatur. express. ā . zj .
 z ii depurat. zj . tutia præp. ziii .
 cera alb. venet. Gum. depuratis. āā . zß . F. L. a. un-
 guentum.

XXXII. Philippi Hermanni arcanum revelat Petrus Forestus in
 observ. Chirurg. p. m. 166.

Rx. succi hypericon. apii āā ℥ij .
 senecionis vulgaribus cruciatæ dictæ,
 millefolii, absinth. āā ℥ij .
 chelidonia, persicar. āā ℥ij .
 terebinth. ℥ij . farin. tritic. q. s. O ust. zß .
 Coq. F. l. a. unguentum.

XXXIII. Plura ac crebrâ experientiâ comprobata legere qui optat,
 evolvere potest Coum l. 2. epidem. sect. 6. t. 52. Alaharavium lib. præf.
 cap. XXV. fol. m. CXXV. qui unguentum analdi i. e. Diapalm. com-
 mendat. Paul. Aeginet. de re medic. L. III. c. 81. p. m. 499. Aeti-
 um tetr. 111. Serm. 11. c. 75. p. m. 732. tetr. V. Serm. I. c. 74. p. m. 669.
 Marcellum lib. de medicam. c. XLIX. p. m. 32. Alexandr. Benedict.
 lib. XXX. de re medic. c. XXV. &c. p. m. 525. Rulandum passim in
 centuriis. Nonum de omnium part. morb. curat. c. 228. p. m. 260.
 Crollium de signat. p. m. 37. Basil. chym. p. 276. Mylium in antidota-
 rio medic. Chym. reform. l. 1. c. 6. p. m. 75. Penorum de vera præp. &
 usu medicam. Chym. p. m. 184. Kunrathum part. 11. medull. destill.
 p. m. 168. 295. 573. Forestum l. c. p. m. 165. &c. Ryff. l. c. p. m. 57.
 Chalmetaum l. c. p. m. 131. Hildan. l. c. p. m. 289. Sennertum l. c. p. m.
 79. Bayr. l. c. p. m. 508. &c. Hafenrefferum in Nosodoch. l. 2. c. 1. p. m.
 168. Severinum pyrotechnia Chirurg. l. 1. part. 11. Barbett. l. sæpius
 citat. Gabelkhoverum in enporistis pag. 340. seq. Glandorpium l. cit.
 & denique citatum jam Riverium p. 645. aliosque plures.

XXXIV. Practicorum crebra experientia, adfectum nostrum ad-
 hibitis hisce optimis licet præsidiiis quandoque sine ferro nec im-
 minui, nec etiam penitus tolli posse, prolixè testatur, si profundius
 malum radicum sit, nec ad exteriora natura sponte propellat
 vitium.

XXXV. Quapropter cum *Hildano*, *Petr. Bayr. Parco*, *Pigreo*, aliisve ad *sectionem* confugiat medica manus, quâ nihil quicquam ægrotantes magis sublevare potest.

XXXVI. Materia altius si penetrat digitum, tunc per aliquot dierum spatium adhibitis *suppurantibus* incisio differenda, sin minus, cum rasorio lateraliter ab ungue usque ad os, à summitate digiti ad juncturam exclusivè, pertusio instituenda. *Glandorp. l. c.*

XXXVII. Quamvis autem incisio statim ab initio, non expectatâ *maturatione*, aut notabili tumore vel inflammatione secundum longitudinem peracta à quam plurimis commendetur, nihilominus tamen hanc, cum plerique ægrotantes ipsam cum sene isto, cujus mentionem facit *Diomedes Cornarius cap. XII. observ. Medicinal.* reformident, probè pensitatis circumstantiis aliquandiu, juxta *Glandorpium ac Barbett.* differre non erit piaculum. Nec festinanda nimis, nec procrastinanda nimis venit sectio.

XXXIIX. Celebratâ sectione, ac sanie extractâ subtili & fœtidâ sæpe, interdum etiam solo sanguine, opus est *mundificantibus* & *detergentibus* benignioribus, malignitatique infimul resistentibus, ac denique *cicatrisantibus* cura felicissimè absolvitur.

XXXIX. *Petr. Bayr. l. c. p. m. 450.* adplicatione solâ albuminis ovi cum vitello benè invicem agitatis intus & extra vulnus, absque digiti deformatione, se fœminam pristinae sanitati restituisse, attestatur.

XL. *Incarnativum Vigonis* ejusdemque *trochisci* laudem haud exiguam merentur. In ∇ insuper vitæ autores theriacam solvunt, linteoloque hoc madefacto circumligant vulnus. Spectant huc quoque *Balsam. hyperici Glandorpii*, *unguent. digest. usit. pulveres incarnativi ex thure, aloe, styrace*, & *emplastrum epulot. Lang.* *Uninum Magnifici Dn. D. Pres. oppoteldock Rolsincianum* &c.

XLI. Quod si sordities major conjuncta sit, & malum serpere observetur, potest cum *unguento digestivo* misceri *ungv. Egyptiacum, apostolorum, erugo, Oust. empl. diapomph.* Pterygio eadem, & ☿ *tas.* aliaque excrescentiam leniter absumentia & exsiccantia debentur. Cautica, quantum fieri potest, fugere consultius est.

XLII. Cavendum etiam est, ne tendinibus vitium altius affricetur, unde sæpe pulveres defensivi & hisce debiti ex *irid. flor. lap. calam.* & ratione ossis quandoque *euphorbii* parum, aliisque facti conveniunt.

XLIII. Ossis denique caries non negligenda, quæ & aliorum & nostrâ inspectione observata est. Eam autem adesse *doloris pun- gitivi perseverantia* ac continuitas, *hypersarcosis* &c. declarare possunt. *Gabriel Fallopius tract. de ulceribus c. 22. p. m. 25.* duplicem curam inculcat, quarum una *manu*, altera verò *natura* absolvitur.

XLIV. Hujus proinde manuductionem sequuti nonnemini chirurgicâ manu os extremum pollicis felici successu, cum separatum esset, eximendum svasimus. In aliis partes officuli ejusdem feces- sere, qualia cariola apud *Magnificum Dn. D. Præsidentem* vidimus.

XLV. Videri hanc in rem plura possunt ap. *Glandorpium l. c.* passim, qui ea accuratè & fideliter rationi & experientiæ consen- tanea subministrat,

CAPUT XIII.

Curationem absolvit per diætam.

I.

Cum plerique, qui de paronychiæ curatione quicquam æter- nitati consecrarunt, diætandi rationem commendent, quos inter Chirurgorum non postremus *Jacobus Ryff l. c. p. m. 56.* hinc paucula quædam dissertationi nostræ coronidis loco adnecten- da veniunt.

II. Non quidem determinatam victus rationem aut laudatissimam curiositatem, ut *Marsilius Ficinus de vitâ producendâ* loquitur, in- culcamus, sed decentem potius, quæque naturam disponit, ut scri- bit *Paracelsus in Comm. aph. V. Hipp. p. m. 699.* quò operationes feli- cius exercere valeat.

III. Determinatæ hujus infelicissimum successum commemorat *Sleidanus lib. 9. p. m. 144.* de Clemente Pontifice Romano.

IV. Memorabilis Cyri est responsio, quam *Xenophon in Cyropa- diâ* exhibet, qui aliquando interrogatus, quid sibi in cœnam pa-
rari

rari vellet, nil præter panem, inquit, mox enim ad fontem cō-
nabimus.

V. Quapropter & nos in paronychiæ violentiâ parcam ac sobriam diætandi rationem ex *Cyri* sententia observandam seriò suademus.

VI. Triplex autem ab autoribus traditur: *naturalis, vitalis, animalis*. In NATURALI cibus requiritur ratione *qualitatis* εὐχόμενῃ καὶ εὐπειπῇ, *quantitatis* verò ad mediocritatis normam vitæque custodum, virium scilicet, conservationem spectans.

VII. POTUS esto moderatus, inprimis laudem meretur cerevisia Numburgensis.

VIII. VINI immoderatus usus cane & angue pejus fugiendus, inprimis enim tumor hic, præcepto *Mercurialis l. de decorat. c. 29.* abstinentiam vini postulat, & earum rerum, quæ sanguinem calefacere possunt.

IX. VITALIS AEREM temperatum, ut ex capite V. patet, exoptat, ελασσι γὰρ, juxta 5. *aph. 20.* ψυχρὸν δακνῶδες, *frigidum enim ulceribus mordax.*

X. ANIMALIS SOMNUM largiorem concedit, VIGILIAS verò nimias improbat.

XI. MOTUS & QUIES mediocritatis non transcendant limites, præstat tamen quiete blandâ malo inducias procurare, quàm motu intempestivo id irritare, licet ipse dolor sat atrox hanc sapissimè excutiat.

XII. ALVI LUBRICITAS semper proficua, si defecerit in officio, natura solitis stimulis excitanda. *Venus* medullisorba, variorumque morborum mater feracissima, fugienda.

XIII. ANIMI AFFECTUS temperandi, & ubi vel levissima commotio percipitur, confestim ejusmodi Δ, ut cum *Quercetano* loquar, ∇ continentia à ratione sublimatâ, & alembicata, extinguendus est.

XIV. Atque hæc sunt, quæ de *ἡσυχία καὶ ἡρεσεία* paronychiæ in medium erant proferenda. Si non valui, quod volui, συγνώμην ab eruditis devotè exopto.

XV. Interea verbis *Abuali Ebn Sina*, quibus magnus quondam Præceptor noster *B. Rolfincius* tractatum de purgantibus vegetabilibus obsignabat, pagellis hisce terminalia statuimus:

((١-٢-٣-٤-٥-٦-٧-٨-٩-١٠)) ر ب ١-٢-٣-٤-٥-٦-٧-٨-٩-١٠ ((

Noscitur ungue leo; demonstrat pagina
docta

Barrosos ungues calamo trivisse labellum,
Teque dies noctesque libros volvisse medentum.
Te sylvæ Te tesqua vocant, & culter ad unguem
testatur solertem animum prope viscera missus.
Te vivis vidit doctrinæ accendere lumen
ignibus & sine veste Deam scrutarier unus
Mulciber, ut taceam, quibus in penetralibus artis
pluribus auspiciis digne progressus adesse
ad lectum adsuetus & præbia ferre salutis,
Nil intentatum est, digito monstrarier ergo
Te Phœbus jubet, acclamari & dicier: hic est.
I meritos digno certamine rite capeffe,
qui dudum expectant studium hoc, perdignus honores!

Clariss. Dn. Doctorando Affini honores in Medicinâ sum-
mos ex merito ambienti merito FELICI-
TER acclamo

P R Æ S E S.

Obti-

Obtinuit magnum quondam Galenus honorem,
Semper opem medicâ quod daret arte viris.
Assiduâ curâ, studiôque Machaona multò
Vincis: Num desit laurea, lausque Tibi?
Non reor. Agnovit, quas calles, SALA medelas:
Gaudeo! Galenum Te vocat inde novum.

Bona scæva ergò deproperab. gratulabundus Lipsiæ

D. JOH. ADAM Scherker /

Ingenui præfulatus Misn. Canonicus
& Thesaurarius, SS. Theol. Prof. Primarius, &
Consistor. Electoral. ac Ducal. Saxon. Adseffor.

Herculeam molem clamant vestigia Pisæ,
Magna Colosseï portio parva docet.
Æmula Phidiacæ monstrat solertia docti
Vngue in SCHELHASI, quis leo nos maneat.

*Non sine omine, Clarissimo Domino Auctori, Amico singulari
gratulaturus addit*

CASPAR SAGITTARIUS,
Phil. M. & SS. Th. Ddus.

Jova, Triune, juva!

Plures res dantur, rerum quàm nomina: multas
unicum enim nomen res notat atque sonat.
Vox Cancrî Piscem: Stellam: Morbumque Virorum
Doctorum in libris significare solet.
Est Virgo in terris: in Cœlis Virgo videtur:
Illa hominem: sidus sed notat hæc vagum.
Est morbus Rosa: flos Rosa: distinguuntur utrinque:
Illa dolorifera est: hæc sed odorifera.
Adestat morbus Ranunculus: herba virescit
In campis: animal reptile gaudet aquis.

Prætereo tacitus sexcentas ordine voces,

Quæ res perplures significare solent.

*Unicum adhuc reliquis exemplum apponere mandat
pro Doctoratu concio habenda tuo.*

*Illa Paronychia naturam tractat : at hæc vox
ambigua, atque duo significare studet :*

*Namque Paronychiam (a) designat in ordine primum
Morbum, post morbi denotat Antidotum,*

*Abcessus circa radices dicitur unguis,
sive sit in digitis : sive sit in pedibus.*

Hunc morbum tollit, vitium vel corrigit herba,

Tempore cui nostro nomen & omen idem.

Qui Morbum novit, doctus mihi Doctor habetur :

Qui Morbi antidotum, doctior ille venit.

Ernesti nomen Fridemanni nocte, Schelkasi

cognomen : Musis Fautor amande, bonis :

Ingeniò Patri & Fratri par : Nomine dispar

Et Doctoratu : sic moderante Deò.

Ambo Juridici Doctores : Ambo Patroni

Causarum volitant docta per ora Virum :

Tu Doctoratus ambis insignia, Alumnis

Quæ Medicis meritò fert Hygiæa suis.

Est tibi nota probè Morbi natura maligni :

Antidoti nota est visque valorque probè :

Utrumque auspicio Wedeli ostendis acutis

in Thesibus, verè quas Bona Fama probat.

Hinc docti dignus Doctoris Nomine, Honore,

Officiò, grator quæ tria puncta tibi.

Ut Fortunati deportes nomen, (id olim

Ipse dedi Patri) pectore & ore precor.

(a) *Paronychia f. & Paronychium n. juxta Plinium à πῶν & ὄνυξ*

Ita mentem manumque, animum calamumque suum erg

Cl. Dn. Doctorandum, Fautorem & Amicum honoran

dum, exprimere voluit, potuit, debuit

M. ADRIANUS Beier / Eccl. Jen. Archid

FINIS.